

*miseri cordie, auferens iniquitates et scelera, etc.*, quasi hoc esset gloria Dei, respondit Deus ipse statim, v. 20 : *Dimisi juxta verbum tuum; vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra.* In hunc sensum accipiunt nonnulli illud ad Roman. 3, v. 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* In quibus sunt Ambrosius et Anselmus, et Glossa. Sic autem ibi Anselmus : Deus magis magisque glorificatur tribuendo beneficia gratiæ suæ per remissionem delictorum. Quod si peccata delere, et delictis ignoscere Dei gloria est, sanè ubi plura fuerint et graviora peccata, major tunc erit Dei gloria, cum illa deleverit. Sicut major est medici gloria, cum majorem depulit morbum, et robusti hominis, cum fortiorem dejecit adversarium, aut horribilius monstrum ferro confecit. Erat sanè in Davide, si humanas consideres vires, desperata salus. Quis enim auderet adhibere medicinam, quæ salutaris esset tumenti et adhuc crudo vulnere (hæc enim sola est salutaris, quæ facit dolorem), cum morbus esset in reges, cujus obsistere votis, aut turbare gaudia, digna crucis censetur audacia, et omninò illiberalis reprehensio ? Mittebatur à Deo Nathan propheta, et tamen non est ausus condemnare Davidem, donec longà usus insinuatione et artificio, eò adegit regem sui judicii prorsus ignarum, ut suo se judicio condemnaret, suo gladio conficeret. Illum tamen sanavit optimus medicus, cum dejecit è solio, abjecit in terram, et oblitus regii tumoris, quem medicæ horrent manus, clamavit longè à seipso mutatus : *Peccavi Domino*, ac si dicat : Adeò peccavi graviter, ut in meo peccato, quasi in gravissimo morbo depellendo, Dei possit commendari clementia, et illius gloria singularis agnosci.

DOMINUS QUOQUE TRANSTULIT PECCATUM TUUM; NON MORIERIS. Cito est David consecutus quod optabat, obtinuit veniam, restituta est illi salus, imò revocata vita, quam amiserat. Ubi Vulgatus, *transtulit*, Hebraicè est *he ebir*, id est, *transire fecit à te*, id est, fecit ne subires peccatum, id est, peccati pœnam, quam in te ipso subire debuisti. Debuerat David vitam Uriæ, cujus vitæ insidiatus est, et Ammonitarum tandem ferro sustulit. Hoc supplicium Deus removit à Davide, postquam illi expuncto peccato, durioris atque æternæ mortis veniam concessit. Minatus fuerat Deus mortem domui Davidis; mortem, inquam, à ferro sive alieno, sive domestico, quod in eà domo grassaturum dicebatur in sempiternum. Quod dicendi genus

non uni, aut alteri, sed ex eà domo plurimis portendebat exitium; neque ipsum, ut opinor, eximebat Davidem, nisi, quod nunc fecit, à peccato respisceret. Atque ideò cum dixisset Nathan peccatum ab illo fuisse translatum, statim illius explicationem adhibuit, dixitque : *Non morieris.* Quasi diceret : *Moriturus quidem eras, inimico ferro in domo tuâ liberè bacchante; sed tu pœnitendo illius obtudisti aciem, et à tuo jugulo maturè repulisti.* Hæc mihi explicatio facilis est, et optimè, ut mox explicabimus, cum his quæ succedunt proximè consentiens. Ita censet Abulensis, q. 12, et Lyra. Cajetanus de morte etiam accipit corporali, alio tamen modo. Non quasi propter peccatum moriturus fuisset David, sed quia id timebat, ne sibi accideret. Illius igitur timori respondet Deus, dicitque propter hoc peccatum non esse corporalem illi mortem subeundam, quam timebat.

De hæc Davidis pœnitentiâ multa Patres, quam hominibus propositam esse dicunt, tum ut discant, qualis esse debeat pœnitentia, cui à Deo salus et venia promissa est; tum etiam ne desperent, si quando viderint se gravi peccatorum sarcinâ gravari. Vide Ambrosium in Apologiâ Davidis, cap. 2 et 4; Augustinum l. 22, c. 67, contra Faustum. Quid spectare debeat pœnitens verus, jam antea diximus, nempe ut unum Deum intueatur offensum, et de illius injuriâ atque offensione doleat. Et cum sibi ipsi et proximo peccaverit, illam præcipuam habeat dolendi materiam, quod Domino peccaverit. Veræ porrò pœnitentiæ optima Augustinus supra, contra Faustum c. 66, argumenta proponit, dum Davidis præclara commemorat commendatque facinora, quod homunculo ignoverit, quem facilè opprimere potuerit, cum conviciis lacesseret indignissimis, et Dei in illâ verborum lapidumque appetitione, non hominis manum et linguam agnosceret, cum filium, à quo tunc expetebatur ad mortem, et spectante populo per summam ignominiam in regiâ domo atque cubili, violatas sciebat suas concubinas, et servatum vellet, et illius vitam suis commendaret vehementer et extinctum lugeret. Alia supra signa ostendimus ex Chrysostomo. Sed illud addo ex eodem in eadem hom. 2, nunquam peccatum illud excidisse ex memoriâ, sed semper fuisse ob oculos observatum, et non uni Domino et ejus Prophetæ Nathan voluisse apertè confiteri, sed etiam fecisse, ut omnibus esset quàm notissimum : Non solum, inquit, post pœnitentiam palam

edicat vulnera suâ, sed et in posterum universæ nationi eadem manifestat, et Psalmum scripsit, ut non remissiores post pœnitentiam efficiantur homines, et ut sciant quantum fabulam concupiscentiæ habeat tragedia. Idem Eucherus in hunc locum : *Vultus, inquit, apparuit, et sanitas rediit.* Sed non fuit his Propheta contentus : nam post correctionem, post pœnitentiam, post peccatorum absolutionem, Psalmum ob causam scripsit; ita ut etiam posteræ generationi fiat illius passio medicina, et illius naufragium sit aliis portus : et quibus ille vulneratus est, et emendavit, alii in iisdem incidentes ipsâ possint uti medicinâ et emendatione sanari. Psalmus verò, quem sui sceleris æternum esse voluit testem atque præconem, quinquagesimus fuit. In quo v. 5, dicit : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* : id est, coram me, seu in conspectu meo, ita ut quocumque me convertero, in oculos meos semper incurram. Hæc est verborum, et in his Augustini sententia ad verbum proximè citatum.

Hæc dicta fuerint quoad pœnitentiæ formam, et exemplum, quod pœnitentibus pœnitentium maximus, aut cum maximis edidit. In cujus pœnitentiâ, Deique circa illum paratissimâ veniâ, multa videmus, quæ peccatorum desperantes animos ad spem excitent sperandæ salutis. Vixdum ex animo, et seriò animi sui sensum et dolorem expromperat David, dixeratque duo illa potentissima verba : *Peccavi Domino*, cum ab eo translaturum dicitur peccatum, neque illi subeundam esse mortem (cum tamen multis causa fuerit mortis, qui simul cum Uriâ Ammonitarum gladio ceciderunt) et tandem licet non omninò mutata, temperata tamen fuerint minæ per Prophetam intortæ. Notat autem Chrysostomus, Hom. 2 in Psal. 50, quàm diversa sint Dei hominumque judicia, quàm hæc severa, quàm illa mitia. Sic autem ibi Deus ad Davidem : *Tu quidem dixisti reum gladio interimi; ego autem dico, non morieris.* Dixit David, cum umbram quamdam videret hominis, qui neque adulterium commiserat, neque quemquam occiderat fraudulento consilio : *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Convictus fuerat David adulterii, et cædis non unius Uriæ, sed multorum etiam, quos Ammonitæ gladio peremerunt; et tamen audit post duo verba, *non morieris.* Ad extremum ne multus sim, addo,

quæ de pœnitentiâ Davidis, et illius exemplo quanta debeat oriri spes veniæ in peccatoris animo, dicit Chrysostomus Hom. 77, ad Populum : *Ambulemus vigilantes, et expergefacti; vel si paulum quis dormitaverit, illicò prostratus est.* Non enim sumus Davide solertiores, qui cum parumper neglexisset, in ipsum præcipitatus est peccati barathrum, sed citò surrexit. Ne tantum itaque quod peccavit, aspicias, verum etiam quod peccatum abstersit. Propter hoc enim historiam illam descripsit, non ut lapsum consideres, sed ut surgentem admireris : ut discas, cum cecideris, quomodo surgere conveniat. Sicut enim medici difficillimas eligentes ægritudines describunt, talisque curationis viam voluminibus docent, ut in majoribus exercitati minora facilè transigant : ita scilicet et Deus in medium peccatorum maxima produxit, ut in parvis offendentes, per illa facilem horum correctionem inveniant : si enim illa sanitatem acceperunt, multò magis et minora. Videamus igitur, qualiter et infirmatus est, qualiter et illicò surrexit. Eadem Eucherus in hunc locum : *Culpam, inquit, simpliciter confitetur, et dicit : Peccavi Domino; et Propheta respondit : Et Dominus transtulit peccatum tuum; velox confessio, velocior medicina; facto peccavit, verbo pœnituit.* Augustinus Hom. 41 : *David graviter increpatus post comminationes Dei terribiles exclamavit dicens : Peccavi; et mox audivit : Dominus abstulit peccatum tuum. Tantum valent tres syllabæ; tres syllabæ sunt : Peccavi; sed in his tribus syllabis flamma sacrificii coram Domino ascendit in cælum.* *ab his se sanxit mir*

VERS. 14. — VERUMTAMEN QUONIAM BLASPHEMARE FECISTI INIMICOS DOMINI, PROPTER VERBUM HOC, FILIUS QUI NATUS EST TIBI, MORTE MORIETUR. Hæc optimè conveniunt cum explicatione, quam supra magis probabamus. Moriturus erat David, quod fortassè illi Nathan inter alias objecerat minas : licet expressè in historiâ sacrâ non habeamus (neque enim quæ dicuntur, aut fiunt, narrantur omnia) sed concessa vita fuit, quâ se privatum iri formidabat; ita tamen, ut pro suo infantis caput supposuerit, qui parentis loco morbo subito percussus interiit; ne populus, cui jam erat notum Davidis adulterium, æquitatem in Domino requireret, qui tantum scelus abire pateretur impunè; sublato verò communi filio, de utroque parente et communi adulterio supplicium sumptum est,

Neque enim minus Bethsabee, quam Davidi recens nati pueri accidit molestus interitus. Quare David, qui se, adhuc laborante filio, graviter affligerat, consolatus dicitur Bethsabee, quæ magnum ex filii morte dolorem acceperat.

Sed quid est, quod David fecisse dicitur blasphemare inimicos Dei? Quidam hos inimicos esse putant Ammonitas, qui cum superiores essent in eo bello in quo cum aliis cecidit Urias, Hebræorum Deum infirmum esse dicebant, et qui populum suæ creditum fidei servare non potuerit. Ita Abulensis, Dionysius et Cajetanus. Aut certè gentiles omnes, qui Davidis peccatum cognoscere potuerunt (neque enim regum peccata aut celari possunt, aut angustis finibus contineri). Hi enim aut ignarum, aut certè non satis providum Deum existimare possent, qui tam injustum, ingratum, atque crudelem regem illi præposuisset populo, quem sibi ex omnibus unum elegisset. Quod etiam probabile putant Abulensis, et Hugo. Sed placet magis, quod putant Abulensis, et Lyra, intelligi nempe in inimicis Dei illos qui minus piè afficiuntur in Deum, quacumque illi ex religione sint, sive alieni, et idololatræ, sive Hebræi; nam et hi etiam, quæ sunt ingenii facilitate, modò illa improbant, quæ probaverant ante; et quæ horrèbant prius, momento temporis eadem amplectuntur, et colunt: denique in has, et illas religiones incredibili volubilitate labuntur. Hi ergo, cum viderent quid à Davide fuisset admissum, neque ignorarent electum à Domino in regem Israel, aut sumpserunt occasionem, aut sumere potuerunt, qui Dei erant inimici, id est, qui parùm religiosè ac piè de Deo cogitabant, ut in Deo futurorum eventuum, et ingenii humani nulla esset cognitio, aut minus esset de rerum humanarum prudenti atque æquâ administratione sollicitus. Videbant in Saule levius esse peccatum; sic saltem existimare poterant, cum nihil de Pythonissâ consultâ didicissent; illum tamen à Deo è regno pulsum esse noverant, et ejus loco suffectum esse Davidem, quem etiam audierant esse juxta cor Dei, et omnes voluntates ejus esse facturum. Quare suspicari poterant id voluisse Deum, quod vir ille divinæ voluntati concors cum tantâ honorum offensione patravisset: probare videlicet adulterium, homicidium, et quæ proximè objecta fuerant à Nathan.

Hæc Dionysius ideò non probat, quia quo tempore populus blasphemasse dicitur, et im-

piè de Deo aut meditatus, aut locutus, nondum in hominum vulgus eruperat adulterii foetor, aut homicidii barbara crudelitas. Sed hæc ratio infirma est, quia ex linguarum omnium consuetudine ille aliquid dicitur fecisse, qui, ut illud fieret, causam aliis ut facerent, et materiam dedit. Quod verius est, cum reverà id, quod factum esse dicitur, talem habuit exitum, qualis prævidebatur. Quare frequenter audimus, cum quis in vitæ aut honoris periculum conjectus est ab alio, dicere ad alium, de cujus injuriâ, aut imprudentiâ queritur: « Tu me occidisti, tu nomen meum, et vitam obscurasti. » Sic etiam hoc loco materiam populo dedit satis amplam David, ut in Deum impio baccharentur sermone, illumque ignarum, injustum, aut infidelem vocarent.

Sed credo, reverà ante hanc Prophetæ reprehensionem malè de Davide, et impiè de Deo locutum esse populum, aut etiam alios, qui alienæ se religioni devoverant. Quia ante hunc etiam articulum compertum esse arbitror, quid David contra Uriam et ejus domum destinasset animo, et opere compleret. Quod tamen ignorabat ipse David, quia aula non tam habet viros, qui vera principibus dicant, et si quid ab illis peccatum est, liberè objiciant, ac reprehendant, quàm adulatores, qui gratiam captant, et dum commendant illa, in quibus apparet nihil, quod pietatem, imò et pudorem oleat, alunt in illis ad omne vitiorum genus impudentem audaciam, et in mediis flammis otiosos esse jubent, et securos. Quis dubitet, illos per quos in regiam accersit Bethsabee, ignorasse, quid esset in votis Davidi? Quis non videbat, cum interfecto Uriâ, uxorem duxit Bethsabee, intumuisse illius ventrem à concepto foetu? Et eo tempore natum infantem, quo quis cognosceret, non potuisse generari legitime? Neque negaret David, quicquid in utero gereret Bethsabee, esse suum; sanè apertè confessus est, cum puero ægrotante jejunavit et flevit. Neque exiguam conjecturam præbere potuit, cum nuptias acceleraret, et absoluto luctu, septemdiali nempè spatio, in regiam traduxerit. Quod etsi nihil eâ de re præscriptum sit à lege, pudicæ tamen femine non faciunt, neque viri, in quibus aliqua est pudoris atque honestatis ratio.

Quod verò ad cædem pertinet Uriæ, non desunt conjecturæ, quæ suspicionem moveant. Primùm, non ignorabat Joab, cui id à rege mandatum est, ut eo loco exponeret Uriam, unde mortem effugere non posset. Neque ipse

adeò fuit fidei, aut secreti tenax, ut non alicui suum, Davidisque consilium, et datum sibi imperium à rege prodiderit. Cum enim viri prudentes in Joab solertiam, et consilium desiderarent, cum eò misisset milites, unde videbatur majus imminere periculum; neque in illos, qui Uriam in ipso inimicorum congressu deseruerant, animadverteret; credibile est, quò suum nomen à populi reprehensione vindicaret, aperuisse aliis regum mandatum, ex cujus præscripto res gesta fuit; imò et regias ostendisse litteras, quò suæ fidem excusationi faceret.

FILIUS QUI NATUS EST TIBI, MORTE MORIETUR.

Quomodò filii corporali morte parentum suorum peccata luant, diximus in nostris Commentariis super Ezechielem ad illud c. 18, v. 4: *Anima que peccaverit, ipsa morietur*. Sed si ex hujus infantuli fratribus conjectare licet, elementer cum hoc puero actum est, cum illi in eâ etate, in quâ neque doli, neque peccati capax erat, erepta vita est. Quid enim de illo meliora speraremus, quàm de incestuoso Amnon; quàm de impio Absalom, qui manus armavit contra fratrem, quem incautum et seductum oppressit; qui in parentis cædem conspiravit; qui paternum temeravit lectum; qui execrabile tradidit omni posteritati nomen suum? Aut postremò, quàm de Salomone fratre, qui in extremâ senectute, non solum sapientiam, sed etiam mentem amisisse visus est, quando sese alienæ religionis amoribus et sacris implicuit; et cum in primis annis religiosè vixisset, ad extremum tamen, ut habes Eccl. 47: *Inclinavit femora sua mulieribus, et dedit maculam in gloriâ suâ*? Hæc porrò, aut his similia, de hoc puero, cum jam virilis accessisset, et liberior ætas, majori etiam ratione timeri poterant, cum alii ex legitimo, hic verò natus esset ex adulterino congressu. Porrò quanto in periculo sit illorum salus, qui in magnis familiis orti sunt, ubi vita solutior, mala aulicorum exempla, deliciarum abundantia, quæ vires frangit, et vitiorum omnium alimenta et lenocinia præbet, et mores omnium ignominiosè corrumpit, quis non videt? Imò quis non queritur et plorat? Quâ de re nos pluribus l. 2, c. 8, ad illud: *Sed declinauerunt post avaritiam*.

VERS. 16. — DEPRECATUSQUE EST DAVID DOMINUM PRO PARVULO, ET JEJUNAVIT DAVID JEJUNIO (1). Sicut vitam sibi à Domino impetravit.

(1) INGRESSUS SEORSUM, JACUIT SUPER TERRAM. Hebræus: *Pernoctavit, et jacuit super terram.* (Calmet.)

David hæc unâ voce: *Peccavi Domino*, quam amissurus videbatur, ut pœnas daret Uriæ cædis; sic etiam putabat impetrare se posse vitam infanti recens nato, quam Deus illi per Prophetam negaverat. Atque ideò orationi se dedit ferventissimæ, cui addidit illa, quæ apud Deum noverat esse potentissima ad extorquendam ab offenso et indignato pectore misericordiam. Quare abjecit se in terram, secessit in locum separatam à turbâ, aulicoque strepitu, abstinuit à cibis, et adhibuit illa quæ ad expugnandum divinum pectus pondus videbantur habitura maximum. Neque mirum, si pro parvulo tam laboret sedulo, tam se constanter et obstinatè maceret et excruciet, cum pro filii vitâ certet, quam pro suis peccatis videt in discrimen adduci.

VERS. 17. — VENERUNT AUTEM SENIORES DOMUS EJUS, COGENTES EUM, UT SURGERET DE TERRA. Qui auctoritate et gratiâ, adde etiam et etate plus apud regem poterant, cum viderent tam longam regem, ac duram vexationem assumere, illum adeunt, rogantque, imò et cogunt, ut de terrâ exurgat, et sordes illas abjiciat, in quibus jacet, luctu se, et lacrymis assidue conficiens; ac tandem ut antea solitus cibum secum sumat in regiâ mensâ, quam regio, ut opinor, more luculenter instruxerant. Ex quo loco facilè quis intelliget, seniores, et qui in aulicis bellicisque negotiis præcipuas obibant partes, simul cum rege cibos sumere. Sicut tempore Saülis factum legimus l. 1, c. 22, ubi in regio triclinio certæ constituuntur principum sedes, v. 25. Idem omninò significari videtur verbis, quæ proximè succedunt, ubi rex dicitur noluisse surgere, neque cum aliis simul capere cibum.

VERS. 18. — ACCIDIT AUTEM DIE SEPTIMA, UT MORETUR INFANS. Dubium est, an septimus ille dies fuerit ab ortu pueri, ita ut tantum septem vixerit dies; vel ab eo die, quo lethali puer percussus est vulnere. Quidam à die ortus numerant, et inde conjectant damnatum esse puerum, quia ante octavum vitæ diem circumcidi non poterat. Alii à morbo pueri; et his illud objicitur incommodi, quòd durum videtur potuisse Davidem totum illud septemdiale spatium jejunum transigere. Sed quamcumque in partem accipias, non videtur esse difficile negotium. Nam ut demus, urgente necessitatis, id est, mortis articulo, non licere circumcisionis tempus antevertere; quod nonnulli negant, et in his Magister 4, d. 1, c. Si verò queritur: at circumcisio non erat medium

ad salutem necessarium, sed sufficiebat parentum fides, et ex eâ facta pueri nondum circumcisi et jam periclitantis oblatio. Quâ de re vide Gabrielem Vazquez in 3 p. S. Thomæ disp. 163, c. 2, et 1-2, disp. 143, c. 3.

Altera pars nihilò plus habet negotii : neque enim littera nos fateri cogit, totos septem dies Davidem habuisse jejunum. Neque enim dicitur David inchoasse jejunium, quando percussus est puer, sed potius indicat jejunare cœpisse, et humi cubare, quando pueri cœpit desperari salus; quod accidere potuit uno aut altero ante obitum die. Quòd si dicamus, septem dies habuisse lugubres, et totum illud spatium jejunasse, neque hoc videtur durum, aut insolitum : neque enim ita jejunium illud peractum est à rege, ut nihil toto illo tempore gustaverit. Jejunavit enim Hebræorum more, abstinendo videlicet à cibis lautis, et ab aliis mensarum munditiis, et illa adhibendo ad austeram, et lugubrem mensam, quæ status ille miser, et sordidus exigebat. Neque enim benè cum cinere, ac pulvere, cum oratione, et luctu conveniunt lautæ, ac delicatæ cibi, unguenta, et coronæ, et si quid est aliud, quod molles delicias fovet, et geniales exhilarat mensas. Jejunavit sanè Daniel in morore, sicut modò David; neque alio modo jejunasse arbitrator, quàm David, Dan. 10, v. 2: *Ego Daniel lugebam trivum hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, et caro, et vinum non introierunt in os meum; sed neque unguento unctus sum.* Abstinent Daniel à vino, et carnibus, abstinent ab unguentis; comedit quidem panem, non tamen desiderabilem, id est, delicatum, sed aridum, insulsum, parcum; qualem Deus in casu non dissimili Ezechieli præscripsit, c. 4, v. 9. Sic etiam David, ut ipse indicat non obscurè Psal. 101: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.* Quo loco quidam hypallagen agnoscunt; quasi dicat David, comedisse se panem sic insipidum, ut ex cinere potius quàm ex frumentaceâ farinâ subactus videretur. Quòd neque lotus, aut unctus fuerit, constat ex v. 20: *Surrexit ergo David de terrâ, et lotus, unctusque est.* Quòd vestem sumpserit cilicinam, ex eo liquet, quia statim subditur: *Cùmque mutasset vestem,* etc. Cùm autem non ab omni cibo abstinerit David, sed à regio, et splendido, qualem et ipse sumebat antea, et convivis suis porrigebat, satis intelligitur, quomodò septem dies Hebræorum, et lugentium more jejunando tolerare potuerit. Neque id obscurè su-

mitur ex hoc eodem loco. Seniores enim non cogunt ut comedat; nam comedat lugubrem et austerum panem, sedens super cinerem, et indutus veste cilicinâ et sordidâ; sed ut è terrâ surgat, et cum ipsis ut antea cibos capiat, quales regiam munditiam, et majestatem decent. Quod ipse renuit: *Cogentes eum ut surgeret de terrâ, qui noluit, nec comedit cum eis cibum.* Reliqua ad v. 24, interprete non egent. Illud non omitam, quod putat Theodoretus q. 26, obiisse puerum ex adulterio conceptum, opus esse non tam ab odio natum, quàm à Dei benevolentia singulari. Puer enim ille vivus, et aliorum oculis identidem occursans, testis esset assiduus paternæ libidinis, et crudelitatis execrandæ. Addo ego clementer etiam actum esse cum puero, qui si in firmiorem ætatem adoleresceret inter regias delicias, nihilò esset fratribus melior; et ideò misericorditer raptum esse ante tempus, *ne malitia immutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius,* Sap. 4, v. 11.

VERS. 20. — LOTUS UNCTUSQUE EST; CUMQUE MUTASSET VESTEM, INGRESSUS EST DOMUM DOMINI. Apparet ex his optimi, atque religiosi principis pietas, et cum divinâ voluntate consensio. Hactenùs jejunans in sacco, atque squalore jacuerat, quia id gratum Deo fore existimabat, cujus minæ absolutæ fuissent, an conditionatæ, nondum agnoverat. Atque ideò orare voluit, et se affligere, quia id expectare Dominum suspicari poterat, ut frangeret, aut temperaret minas. Ast ubi cognovit, quid Deo in pueruli causâ placuisset, excepit illius iudicium, quàm potuit in eo rerum articulo, jucundissimè. Quare lavit se, atque unxit, quod faciunt, qui læti esse student, et lautæ, quique aliquid vident sibi contigisse pro votis. Mutavit vestes, sumpsitque illas, quæ festum animum, et regiam amplitudinem decebant. Et ingressus est Tabernaculum, ubi tunc erat Arca ex castris Joab, ut reor, in suum locum, re jam feliciter actâ, restituta, ut adoraret Deum, illumque rerum omnium agnosceret, prædicaretque auctorem, et Dominum. Neque questus est, quòd sustulisset filium; sed gratias egit, quòd sibi et peccati veniam, et vitam, quam Uriæ debebat, concessisset. Id puto Davidem egisse in Tabernaculo; et ideò vestem sumpsisse genialem et splendidam, ut significaret, nihil sibi contigisse triste; et statim petiisse, sibi ut sterneretur mensa, et cibis instrueretur haud dubiè solitis. Quæ omnia animum indicant et pium, quia ad sacrarium prius, quàm

ad mensam ingreditur; et lætum, quia cùm filius domi mortuus jaceret, de cibo cogitat, illumque ultrò afferri sibi jubet. In pane porrò, quem sibi afferri jussit, juxta Hebræorum idioma, omnis intelligitur cibus. De quo nos plura alibi.

VERS. 21. — DIXERUNT AUTEM EI SERVI SUI: QUI EST SERMO (1)? etc. Mirati sunt Davidis servi tantam in regio animo mutationem, cùm lugentem viderent et jejunum, cùm adhuc in vivis esset infantulus; nunc autem illo mortuo cibum poscat, et sumat, et vestem induat splendidam, et regiam. Quod cùm familiaris essent seiscitati, respondit rex, non ante sibi exploratum esse, quid Deo in pueruli causâ placuisset; atque ideò sumpsisse lugentis atque precantis habitum, si fortè placaret sibi Deum, quem offensum sciebat, et ab illo lacrymis ægotantis pueri vitam impetraret. Cùm autem jam Deus extincto puero, quid sibi placuisset, satis ostenderit, non putabat amplius cum Domino certandum esse jejunio, ac pre-

(1) *Les officiers de David lui dirent: Vous jeûnez et vous pleurez pour l'enfant lorsqu'il vivait encore, et lorsqu'il est mort, vous vous êtes levé, et vous avez mangé.* Les officiers de David s'étonnent avec raison de sa conduite, parce qu'elle est en effet extraordinaire en cette rencontre, et qu'il faudrait avoir une piété aussi ferme que ce prince pour pouvoir pleurer en cette manière la perte d'un fils. Car on voit tous les jours que ceux qui craignent la mort d'un enfant qui leur est très-cher, se tourmentent excessivement dans cette crainte, mais qu'ils s'affligent encore tout autrement lorsque la mort leur a ravi ce qu'ils aimaient. Voilà ce que l'amitié inspire aux hommes, lorsqu'elle n'a pour principe que l'instinct de la nature. Mais celle de David est plus pure et plus élevée. Elle a Dieu pour objet, et c'est la raison qui la conduit. Tant qu'il espère que la bonté de Dieu se pourra laisser fléchir, il tâche d'obtenir la vie de son fils par son humiliation et par ses larmes. Mais lorsque Dieu l'a tiré du monde, il adore sa justice, et il se console dans la paix qu'il trouve à se soumettre à sa volonté. C'est là la manière dont les pères chrétiens peuvent pleurer la mort des enfants qui leur tiennent le plus au cœur. « Qu'ils versent des larmes, dit saint Augustin, puisque la tendresse de la nature étant blessée par une plaie si sensible ne peut pas les retenir, mais que la joie de la foi les essuie bientôt. » Car ils doivent se souvenir qu'ils ont même une consolation que David n'avait pas en un temps où le ciel n'était pas encore ouvert, qui est que la foi leur apprend que le dernier moment de la vie de leurs enfants, est pour eux le commencement d'une vie divine, et qu'ils ne cessent d'être avec les hommes, que pour devenir semblables aux anges. (Sacy.)

cibus; sed in eo lætandum, quod Deus in suum, ac filii caput decrevisset. (1)

VERS. 24. — ET CONSOLATUS EST DAVID BETHSABEE (1). Multis, justissimisque de causis mœrere poterat Bethsabée; quia rea apud omnes violatæ fidei conjugalis: neque enim saltem post reprehensionem Nathan ignorabat populus, quam illa cum rege consuetudinem habuisset. Quia puer mortuus, qui futurus videbatur fidelis animorum nexus. Quia timebat, ne sicut peccati Davidem pœnituerat, sic etiam pœniteret niti connubii, et ipsam, utpote illius incendii facem dato libello repudii pelleret domo. Illam igitur consolatur David, ac jubet, bono esse animo, neque de suâ fide quicquam adversum suspicari. Quare ut facto orationi ac promissioni suæ faceret fidem, ad illam sicut prius ingreditur, ex quâ suscepit filium, cui nomen *Salomonis* imposuit. Quod factum probavit Deus, et quia natum ex illo concubitu dilexit, jussit Nathan Prophetæ, ut illum *amabilem Domino* vocaret.

Duo nomina habuit filius, quem secundo loco Davidi peperit Bethsabée; utrumque verò nomen impositum est à Deo. Appellatus est *Salomon*, qui *pacificum* sonat, in quo nomine Deus consignari voluit pacem, quæ Salomonis regnum consecuta est; et ob id natum jam ex legitimâ consuetudine filium *Salomonem* nuncupari jussit. Ita docuit David, l. 1 Paral. c. 22, v. 9: *Factus est sermo Domini ad me dicens, etc.: Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus. Faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, et ob hanc causam pacificus vocabitur, et pacem et otium dabo in Israel omnibus diebus ejus.*

Alterum item nomen illi Deus imposuit, quo significavit, quàm Deo futurus esset amabilis. Atque ideò per Nathan illi nomen imposuit *Iedideiah*, id est, *dilectus*, vel *Amabilis Deo*. Sed si hoc etiam fuit Salomonis nomen, cur hoc tantum loco in Salomone nomen istud audimus? Hoc idem de multis aliis dici posset, qui cùm nomen accepissent à Deo, aut nunquam, aut perquam rarò illud in sacris litteris auditur. Quoties Jacob, dum viveret, *Israelis* de se nomen audivit, cùm tamen Genes. 32,

(1) VERS. 23. — NUNC AUTEM QUIA MORTUUS EST, QUARE JEJUNEM? nec enim eum à morte revocare potero, nec à pœnis Purgatorii liberare, utpote qui in innocentia mortuus nullas sustinet; secus est de Absalomo, cujus mortem planxit David inconsolabiliter, quia in peccato parricidii erat mortuus, ideòque damnatus ad gehennam. Ita S. Hieron. epist. 24.

(Corn. à Lap.)